INDEX LECTIONVM

IN

LITERARVM VNIVERSITATE TVRICENSI

INDE

A DIE XXIV. MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXIV

VSQVE

AD DIEM XXV. MENSIS MARTI A. MDCCCLXV

HABENDARVM.

PRAEMISSA EST

CONRADI BVRSIAN DE TITVLIS MAGNESIIS COMMENTATIO.

TVRICI,

EX OFFICINA ZVRCHERI ET FVRRERI.

1864.

Ad magnam illam titulorum Graecorum farraginem quam cotidie fere terra, optima monumentorum antiquorum conservatrix, novis thensauris auget quos gremio suo eripi patitur vix ulla est Graeciae regio quae pauciora adhuc contulerit quam Magnesia paeninsula Thessaliae qua orientem solem spectat annexa, quae in Corpore inscriptionum Graecarum a Boeckhio edito *) nullum omnino locum obtinet. Et quamquam haud sane mirum est si eis temporibus quibus Graeciae civitates suo iure et libertate fruebantur nihil fere in lapidibus inscribendum curavit Magnetum gens, quippe quae olim quidem maritima potentia incluta et corporis Amphictyonici membrum reliquis auctoritate haud inferius, mox tamen Thessalorum dominationi succubuerit ac deinceps cum ipsis Thessalis reliquisque gentibus imperio illorum parentibus non solum a Macedonibus subiecta sed etiam urbe Demetriade condita firmissima quasi pedica adligata fuerit, tamen inde ab eo tempore quo Romani Philippo rege Macedonibusque devictis liberos, immunes, suis legibus esse iusserunt Magnetas una cum reliquis gentibus quae sub dicione Philippi regis fuerant (Liv. XXXIII, 32), hos quoque ut reliquas Graeciae gentes quas illis temporibus de rebus vel levissimis titulos fere verbosissimos publice posuisse constat, bonis lapidibus non pepercisse consentaneum est, quin acta publica, magistratuum nomina et honores, collegiorum decreta in illis insculpta posterorum memoriae traderent. Cuius industriae documenta aliqua nuper reperit Alfredus Mézières Gallus qui eleganti quem de Pelio et Ossa montibus scripsit libello **) praeter titulos aliquot sepulcrales quos ipsi itineris quod per illas regiones fecit descriptioni inseruit quattuor addidit inscriptiones accuratiore examine maxime dignas quippe quae ad reipublicae formam et ad sacrorum administrationem quales sub initia dominationis Romanae in Magnesia fuerint indagandas non nihil utilitatis afferant; quas cum ipse Mézières cuius liber paucis tantum nostratium innotuisse videtur tales ediderit quales e lapidibus

*) Amplissima quam Lebasius edidit titulorum et graecorum et latinorum collectione me uti non potuisse testor.

**) A. Mézières Mémoire sur le Pelion et l'Ossa, Paris 1853. Idem libellus repetitus est in Collectione commentationum quae inscribitur: Archives des missions scientifiques et littéraires, tom. III (Paris 1854) p. 149—266.

descripsit nullis neque supplementis neque explicationibus adiectis, operae pretium esse existimavi hoc libello academico a me distinctas ac quantum fieri potuit redintegratas cum hominibus antiquarum litterarum studiosis communicare.

Primo loco ponam titulum quem Mézières reperit in ecclesia divae Mariae (*τῆς Παναγίας* quam vocant Graeci) Macrinizae qui vicus in monte Pelio situs est supra oppidulum quod nunc Volo appellatur. Apographum tituli quod ille dedit (p. 116 = p. 264) hoc est:

ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣΜΑΡΚΟΥΣΤΑΤΙΟΥ
ΟΙΥΠΟΣΤΟΛΟΙΕΙΠΑΝΕΠΕΙΔΗ
ΤΩΝΟΣΚΑΤΑΣΤΑΘΕΙΣΥΠΟΤΗ
ΕΡΕΥΣΤΟΥΣΑΡΑΠΙΔΟΣΕΝΤΕ
ΟΥΣΘΕΟΥΣΑΝΕΣΤΡΑΠΤΑΙΑΞΙΩΣΜΕ
ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣΑΞΙΩΣΔΕΚΑΙΤΗΣΤΕ
ΗΣΚΑΙΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣΟΥΔΕΝΕΛΛΕΙΠΟΝΤ
ΕΡΑΠΕΥΤΑΣΜΕΓΑΛΟΜΕΤΡΩΣΚΑΙΕΚΤΕΝ
ΑΤΕΤΕΛΕΚΕΝΒΟΥΛΟΜΕΝΟΣΤΕΤΗΝΕΑΥ
ΣΙΝΛΑΙΜΝΗΣΤΟΝΚΑΙΤΟΙΣΜΕΤΑΤΑΥΤΑΚΑΤ
ΕΔΩΚΕΝΕΙΣΤΕΤΩΝΘΕΩΝΤΙΜΗΝ
ΟΝΤΩΝΥΠΟΣΤΟΛΩΝΕΚΤΟΥΙΛΙΟΥΒΙΟΥΑΡ
ΝΑΣΧΙΛΙΑΣΧΑΡΙΝΤΟΥΓΙΝΟΜΕΝΗΣΚΑΤΕΝΙΑ
ΥΠΟΣΤΟΛΩΝΣΥΝΟΔΟΥΚΑΙΤΩΝΤΟΚΩΝΑ
ΤΑΣΤΕΤΩΝΘΕΩΝΤΙΜΑΣΕΠΙΠΛΕΙΟΝΑΥ
ΟΥΣΥΠΟΣΤΟΛΟΥΣΑΕΙΤΗΣΚΑΘΗΚΟΥΣ
ΙΝΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΣΔΙΟΚΑΙΔΕΔΟΧΘΑΙΤΟΙ
ΟΙΣΣΤΕΦΑΝΩΣΑΙΚΡΙΤΩΝΑΚΡΙΤΩΝΟΣ
ΑΝΩΙΚΑΙΕΙΚΟΝΙΓΡΑΠΤΗΙΜΕΤΕΧΕΙΝΤ
ΟΥΠΑΝΤΩΝΤΟΙΣΥΠΟΣΤΟΛΟΙΣΔΙΔΟΜΕ
ΡΟΠΩΝΤΙΝΕΣΘΑΙΔΕΔΙΑΠΑΝΤΟΣΤ
ΑΥΤΟΥΕΝΠΑΣΑΙΣΤΑΙΣΚΑΤΑΤΟΙΕΡΟΝ
ΠΟΤΩΝΥΠΟΣΤΟΛΩΝΣΥΝΟΔΟΙΣΑ
ΕΤΟΨΗΦΙΣΜΑΤΟΥΤΟΚΑΙΤΟΝΣΤΕΦ
ΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩΤΟΥΣΑΡΑΠΙΕΙΟΥΤ
ΑΙΤΗΝΕΙΚΟΝΑΤΕΘΗΝΑΙΕΦΑΚΑΙΕ
ΙΥΠΟΣΤΟΛΟΙΚΡΙΤΩΝΑΚΡΙΤΩΝΟΣΤΟΝ
ΑΠΙΔΟΣΑΡΕΤΗΣΕΝΕΚΕΝΚΑΙΕΥ

Haec mihi sic fere distinguenda, corrigenda, supplenda esse videntur:

Στρατηγοῦντος Μάρκου Στατίου . . . . . . οἱ ὑπόστολοι εἶπαν· ἐπειδὴ [Κρί-των Κρί]τωνος κατασταθεὶς ὑπὸ τῆ[ς συνόδου ἱ]ερεὺς τοῦ Σαράπιδος ἔν τε [τῇ ἱερωσύνῃ πρός τ]οὺς θεοὺς ἀνέστραπται ἀξίως μὲ[ν τῆς ἑαυτοῦ] καλοκά-γαθίας, ἀξίως δὲ καὶ τῆς τε [συνόδου, σπουδ]ῆς καὶ φιλοτιμίας οὐδὲν ἐλλείπων τ[ούς τε θεοὺς θ]εραπεύσας μεγαλομερῶς καὶ ἐκτεν[ῶς διὰ παντὸς δι]ατετέλε-κεν βουλόμενός τε τὴν ἑαυ[τοῦ προαίρε]σιν ἀείμνηστον καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα κατ[αλείπειν ἐπ]έδωκεν εἴς τε [τὴν] τῶν θεῶν τιμὴν [καὶ διὰ τὴν σύνοδ]ον τῶν ὑποστόλων ἐκ τοῦ ἰδίου βίου ἀρ[γυρίου δραχ]μὰς χιλίας χάριν τοῦ γινομένης κατ' ἐνια[υτὸν τῆς τῶν] ὑποστόλων συνόδου ἀπὸ τῶν τόκων α[ὐτοῦ τοῦ διαφό-ρου] τάς τε τῶν θεῶν τιμὰς ἐπὶ πλεῖον αὐ[ξάνεσθαι καὶ τ]οὺς ὑποστόλους ἀεὶ τῆς καθηκούσ[ης ἐπιτυγχάνε]ιν φιλανθρωπίας· διὸ καὶ δεδόχθαι τοῖ[ς ὑποστό-λ]οις στεφανῶσαι Κρίτωνα Κρίτωνος [χρυσῷ στεφ]άνῳ καὶ εἰκόνι γραπτῇ μετέ-χειν τ[ε αὐτὸν διὰ βί]ου πάντων [τῶν] τοῖς ὑποστόλοις διδομέ[νων ὑπὸ τῶν ἐπιτ]ρόπων· γίνεσθαι δὲ διὰ παντὸς τ[οὺς ἐκγόνους] αὐτοῦ ἐν πάσαις ταῖς κατὰ τὸ ἱερὸν [γινομέναις ὑ]πὸ τῶν ὑποστόλων συνόδοις· ἀ[ναγραφῆναι δ]ὲ τὸ ψή-φισμα τοῦτο καὶ τὸν στέφ[ανον ἐν τῷ ἐ]πιφανεστάτῳ τοῦ Σαραπιείου τ[όπῳ· αὐτοῦ δὲ κ]αὶ τὴν εἰκόνα τεθῆναι ἐφ' ᾗ καὶ ἐ[πιγραφέσθω· ο]ἱ ὑπόστολοι Κρί-τωνα Κρίτωνος τὸν [ἱερέα τοῦ Σαρ]άπιδος ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ εὐ[νοίας τῆς εἰς αὐτούς].

Exhibet titulus cuius singulos versus variae fuisse apparet longitudinis decretum collegii sive sodalitatis alicuius quae *ἡ σύνοδος τῶν ὑποστόλων* dicitur factum in honorem Critonis cuiusdam Critonis filii qui a collegio illo sacerdos Sarapidis constitutus non solum sacerdotio optime functus sed etiam de suo mille drachmas largitus erat, cuius sortis usura quotannis ad sacrificia augenda et — quae haud dubie gravissima erat causa honoris a collegio in Critonem collati — ad hypostolos debita comitate, id est dapibus Saliaribus excipiendos impenderetur. Positus erat hic titulus una cum imagine picta Critonis, ut ex versu 25 apparet, in ipso templo Sarapidis, cuius locum quin ecclesia illa obtineat in qua lapidem cui inscriptus est titulus se reperisse testatur Mézières non est quod dubitemus. Pertinuisse autem videtur hoc templum ad urbem Demetriadem a cuius quidem ruderibus trium fere horarum spatio vel paulo longius distat vicus qui Macriniza vocatur, cuius tamen agrum totam illam regionem quae inter Boebeidem lacum, Pagasaeum sinum et Aegaeum mare sita est complexum esse constat (cf. Strabon. VIIII, p. 436). Itaque etiam praetorem cuius nomen huic titulo praescriptum est ad annum designandum, praetorem annuum urbis Demetriadis intellegen-

dum esse puto; cuius nomen cum Romanum vel certe Italicum sit — Marcus enim Statius ille vocatur — titulum non ante dominationem Romanam conscriptum esse apparet; e figuris autem literarum, si modo recte eas expressit editor Gallus, primo fere vel etiam alteri ante Christum natum saeculo videtur esse adscribendus. Jam quaeritur quinam fuerint illi hypostoli a quorum synodo quotannis congregata sacerdos Sarapidis constitutus erat Crito. Ipsum nomen quod est *ὑπόστολος* mihi quidem neque e scriptoris ullius verbis neque e titulo ullo adhuc innotuit, neque analogia nominis quod est *ἀπόστολος* satis certam explicandi viam monstrare videtur; at cum ex ipso titulo satis appareat eos qui hoc nomen profitentur simili fere munere functos esse atque eos qui aliis in locis *ὀργεῶνες* appellantur, quamvis dubitanter ex ea quam verbum quod est *ὑποστέλλειν* volgo obtinet significatione *τοὺς ὑποστόλους* interpretor homines qui a rebus publicis omnibusque negotiis sese receperunt, ut dei alicuius servitio totos se dederent. Sed quo minus certo de nominis significatione, eo certius de consilio collegii quod constituunt hypostoli statuere licet; spectat enim illud ad deum Sarapidem colendum, cuius religio inde a Ptolomaeorum temporibus in plurimis Graeciae civitatibus vigebat, velut Athenis (v. Paus. I, 18, 4; Boeckh. ad C. I. Gr. n. 120; Rangabis antiquités helléniques n. 1097), in Delo insula (v. C. I. Gr. n. 2302 ss.), Chaeroneae (v. Preller in actis societ. litter. Saxon. anni 1854 p. 195 ss.; Conze et Michaelis in Annal. instit. archaeol. vol. XXXIII, p. 77 s.), Tithorrae (v. Ulrichs Reisen und Forschungen in Griechenland II, p. 121), Ambraciae (v. C. I. Gr. n. 1800), aliis in urbibus quas enumerare longum est. Est igitur synodus hypostolorum cuius decretum in lapide Demetriaco legimus collegium sive sodalitas Sarapiastarum (v. C. I. Gr. n. 120) quae quotannis ad festum dei rite celebrandum genioque suo indulgendum in fanum eius congregatur, per reliquum vero anni tempus sacerdoti a se creato munus sacra deo faciendi defert. De universa ratione talium collegiorum, qualia amissa publica libertate civiumque animis a rerum publicarum cura ad res sacras vel privatas curandas conversis per omnes Graeciae Asiaeque minoris quam dicunt regiones floruisse constat, breviter et scite ut solet exposuit Schoemannus libri qui inscribitur ‚griechische Alterthümer', vol. II, p. 480 ss. Ex multis autem quae aetatem tulerunt decretis ab his collegiis in honorem singulorum hominum factis eius de quo nos agimus tituli simillimum est decretum collegii artificum Dionysiacorum Ioniae et Hellesponti (*τοῦ κοινοῦ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλη-*

σπόντου καὶ τῶν περὶ τὸν καθηγεμόνα Διόνυσον) in honorem Cratonis Zotichi filii tibicinis in Delo insula et Tei in theatro positum (C. I. Gr. n. 3067), quocum Boeckhius composuit alia quaedam decreta (ibid. n. 3068 et 3096) quibus idem vir publicis honoribus afficitur ab eodem collegio et a collegiis synagonistarum (*τῷ κοινῷ τῶν συναγωνιστῶν*), artificum Isthmi et Nemeae (*τῶν ἐν Ἰσθμῷ καὶ Νεμέᾳ τεχνιτῶν*) et Attalistarum (*τῶν Ἀτταλιστῶν*); ad haec vero proxime accedit titulus nuper Argis repertus quo continetur decretum collegii artificum Dionysiacorum ex Isthmo et Nemea Argos congregatorum (*τοῦ κοινοῦ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν· τῶν ἐξ Ἰσθμοῦ καὶ Νεμέας τῆς ἐν Ἄργει συναγωγῆς*) in honorem Zenonis Hecatodori filii Argivi (v. Annal. inst. arch. vol. XXXIII, p. 17).

Jam ut de singulis tituli Demetriaci verbis a me restitutis dicam, primus eius versus coniectura expleri nequit quia patris M. Stati nomen quod sine dubio ibi positum erat nescimus. V. 4 num scriptum fuerit id quod ego posui *ἱερωσύνῃ* an quod et propter sensum et propter literarum numerum eodem iure locum obtinet *ἱερητείᾳ* (v. C. I. Gr. n. 2656, v. 5 et de verbo quod est *ἱερητεύειν* ibid. n. 1603, v. 6; 1725, v. 2; 1775; Ulrichs Reisen und Forschungen II, p. 125 ss.*) aliis diiudicandum relinquo. V. 6 id quod dedi *σπουδῆς* sumpsi e C. I. Gr. n. 3069, v. 75 ubi legitur *σπουδῆς καὶ φιλοτιμίας οὐθὲν ἐλλείπων***), neque vereor ne quis malit scribere *δαπάνης* e C. I. Gr. n. 3068 b. v. 9 ubi est *οὔτε δαπάνης οὔτε φιλοτιμίας οὐθὲν ἐλλείπων*. V. 7 certa ut mihi videor coniectura id quod apographum exhibet *ΕΛΛΕΙΠΟΝ* mutavi in *ἐλλείπων*, quemadmodum et v. 8 restitui *θεραπεύσας* et *μεγαλομερῶς* quod adverbium et apud Polybium aliosque scriptores aevi Romani et in titulis nonnullis legitur: cf. Rangabis ant. hell. n. 812, v. 19; n. 813, v. 38, n. 2276, v. 4. V. 9 id quod dedi *προαίρεσιν* non prorsus certum esse ipse intellego; sed praetuli hoc ei quod sententia pariter admittit *διάθεσιν* tum propter literarum numerum tum propter similem eius vocis usum in titulis haud infrequentem cuius exempla contulit C. Keilius in commentatione quam de tribus inscriptionibus Thessalicis edidit p. 11: at nisi obstitissent literae *ΣΙΝ* initio v. 10 servatae scripsissem *καλοκἀγαθίαν*, quemadmodum in de-

*) Aliud exemplum usus literae *η* latius patentis praebet id quod est *ἀνήλωμα* in titulo Demetriaco altero v. 4.

**) Cf. etiam Rangabis ant. hell. n. 703, v. 9 s.: *σπουδᾶς καὶ φιλονικίας* (fort. *φιλοτιμίας*) *οὐθ[ὲν] ἐλλείποντες*, et Ussing inscriptiones graecae ineditae n. 17 (quem titulum iterum exscripsit H. Barth, Reise durch das Innere der Europäischen Türkei p. 176) v. 9: *σ]πουδῆς καὶ φιλοτιμίας* (*φιλοξενίας* Barth) *οὐδ[ὲν ἐλλείπων]*.

creto verbosissimo probulorum Eretriensium in honorem Theopompi facto quod ediderunt Baumeister in Philol. vol. X, p. 300 ss. et Rangabis ant. hell. n. 689 (v. 14 ss.) legitur: *βουλόμενός τε τῆς ἑαυτοῦ καλοκἀγαθίας τε καὶ εὐνοίας ἧς ἔχει πρὸς τὸν δῆμον ἀθάνατον ὑπόμνημα καταλείπειν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον*. V. 10 quin recte correxerim *ἀείμνηστον*, suppleverim *καταλείπειν* neminem fore puto qui dubitet; cf. C. I. Gr. n. 3068 b, v. 11: *αἰείμνηστον τοῖς ἐπιγινομένοις κατέλιπεν τὴν ἀρχήν*. V. 11 id quod est *τὴν* atque v. 20 *τῶν* num lapicidae an describentis errore omissa sint nescio; utrumque omitti non debuisse scio. Porro certum est primam literam v. 13 esse M non N et v. 14 pro eo quod apographum praebet *ΚΑΙ* restituendum esse *ΑΠΟ*, incertum vero num in fine eiusdem versus restituendum sit *διαφόρου* an aliud verbum quod sortem sive pecuniae summam significat, velut *πλήθους* sive *κεφαλαίου* sive *ἀρχαίου*. Id quod est *πλήθους* commendare videtur locus tituli Eretriensis quem supra commemoravimus etiam per orationis formam huius de quo agimus loci simillimus (v. 19 ss.): *εἵνεκεν τοῦ δανειζομένου τοῦ προγεγραμμένου πλήθους ἐπὶ ὑποθήκαις ἀξιοχρέοσιν καταγοράζεσθαι ἀπὸ τοῦ πίπτοντος κατ' ἐνιαυτὸν τόκου ἔλαιον εἰς τὸ γυμνάσιον*: at in eodem titulo habemus etiam verbum quod est *διάφορον* v. 54, 61, 64, ita ut inter haec duo prorsus libera sit optio, cum ea quae sunt *ἀρχαῖον* et *κεφάλαιον* Atticorum magis propria esse videantur.*) *Εἰκὼν γραπτὴ* qua hypostoli honorandum esse censent Critonem (v. 19) intellegenda est imago in tabula picta, qua de re accurate exposuit Boeckhius C. I. G. II, p. 662 ss.**), cui in eo quoque assentior quod *εἰκόνα γραπτὴν τελείαν* sive *πίνακα τέλειον* interpretatur »tabulam pictam quae totam unius vel plurium staturam monstraret«, non imaginem ipsam hominis staturam magnitudine exaequantem quae sententia est Ottonis Jahni (in commentatione quam de imaginibus a Polygnoto Delphis in parietibus leschae Cnidiorum pictis scripsit p. 62 ss.); nam *πίναξ* ille *τέλειος* ab Ismenia Chalcidensi pictus quem Habron Lycurgi oratoris filius in Erechtheo dedicavit (vit. X oratt. p. 843 e) cum totum stemma gene-

*) Id quod est *ἀρχαῖον* legitur tamen etiam in testamento Epictetae C. I. Gr. n. 2448, VIII, v. 8 et in titulo Lampsaceno ibid. n. 3641 b, v. 77.

**) Idem significat *εἰκὼν ἐμ πίνακι* in decreto ab Orgeonibus Matris Magnae Piraeensibus in honorem Hermaei Hermogenis filii Paeonidae facto (v. Archaeolog. Anzeiger 1855, n. 82. 83. p. 83* n. 1) atque eodem referendi esse videntur *εἰκονικοὶ πίνακες* in altero titulo Attico valde lacero quem edidit E. Curtius (Inscriptiones Atticae nuper repertae XII, p. 17, tit. VI, v. 8).

ris Lycurgi inde ab eo Lycurgo qui Olymp. 76, 1 exercitum Atheniensium in Thraciam duxerat ibique mortem occubuerat (v. A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit II, p. 299) usque ad Lycurgi oratoris filios hoc est per sex hominum aetates continuo ordine deductum exhiberet quantae tandem magnitudinis fuisse putandus est, si tot hominum imagines ad veritatem expressas complectebatur? non unum hercle templi parietem sed totam cellam omnesque porticus talis pictura occupasset velut ea qua Neronis libertus publicas porticus occupavit gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditis, ut ait Plinius n. h. XXXV, 7, 52. Aeliani autem verba (var. hist. IIII, 3) quibus multum tribuit Jahnius mihi ad hanc quaestionem solvendam nullius fere momenti esse videntur: quemadmodum enim *τὰ μεγάλα* quae Polygnotum pinxisse dicit scriptor non ad externam ut ita dicam magnitudinem quae sub sensus cadit sed ad argumenti gravitatem spectant, ita etiam *τὰ τέλεια* (*ἐν τοῖς τελείοις εἰργάζετο τὰ ἆθλα*) non de veris hominum figuris sed de eis quae in suo genere perfecta sunt omnibusque numeris absoluta — Idealgestalten vocant nostrates — intellegenda esse puto.

Sed ut ex hac digressione in viam id est ad titulum Demetriacum regrediar, ibi in fine v. 20 dubitanter tantum et fere invitus restitui *ὑπὸ τῶν ἐπιτρόπων*, quod si verum est *οἱ ἐπίτροποι* in fano Sarapidis Demetriaco eodem fere munere fungebatur quo aliis in templis ei qui vocantur *οἱ ἐπιμεληταί*, hoc dico, ut reditus sacros administrarent, praecipue vero ut diebus festis hypostolos lautis dapibus excipiendos curarent. Sed grammatica totius enuntiati ratio et aliorum titulorum analogia mihi fere persuadent prorsus aliud quid olim hic scriptum fuisse quod facillima coniectura una litera ex eis quae in apographo servatae sunt mutata quasi sua sponte efficitur: *πάντων τῶν τοῖς ὑποστόλοις διδομένων φιλανθρώπων*, quae est formula dicendi in titulis honorariis usitatissima; cf. C. I. Gr. n. 2270, v. 33 s.: *συνεπιχωρῆσαι τοῖς ἐψηφισμένοις Εὐβούλῳ φιλανθρώποις;*' ibid. n. 3045, v. 21 ss.: *καὶ τά τε εἰς τὸν θεὸν τίμια καὶ τὰ εἰς ὑμᾶς φιλάνθρωπα πειρασόμεθα συνεπαύξειν*; ib. n. 3046 v. 7 s.: *καὶ τὰ ψαφίσματα τὰ πρότερον γεγονότα αὐτοῖς περὶ πάντων τῶν φιλανθρώπων κατάμονα εἶναι*; Rangabis ant. hell. n. 503, v. 8 ss.: *καὶ ὑπάρχειν αὐτῷ πάντα τὰ καλὰ καὶ φιλάνθρωπα καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις προξένοις*. De reliquis tituli Demetriaci verbis nihil habeo quod addam nisi hoc v. 25 s. non prorsus certa esse quae dedi *αὐτοῦ δὲ* et *ἐπιγραφέσθω* quippe quorum in locum substituere liceat *ἐν ᾧ* et *ἐπιγραφῆναι*.

Ad urbem Demetriadem procul dubio etiam referendi sunt alii duo tituli vel potius titulorum fragmenta eodem loco reperta quorum apographa inveniuntur apud Mézières p. 117 (= p. 265). Prius ita se habet:

. . . .
ΚΑΙΑΝΑΓΡΑΦΗΝΑΙΤΟΔΕΤΟΨΗΦΙΣΜΑΕΙΝΑΙΔΕΑΩΙΚΥΤΑΙΠΡΟΕ
ΔΡΙΑΝΕΝΠΑΣΑΙΣΤΑΙΣΚΑΤΑΜΑΓΝΗΣΙΑΝΠΟΛΕΣΙΝΠΡΟΝΟΗ
ΘΗΝΑΙΔΕΟΠΩΣΣΥΝΤΕΛΕΣΘΗΤΑΕΨΗΦΙΣΜΕΝΑΤΟΥΣΚΟΙΝΟΥΣ
ΑΡΧΟΝΤΑΣΤΟΔΕΕΣΟΜΕΝΟΝΕΙΣΤΑΥΤΑΑΝΗΛΩΜΑΔΟΥΝΑΙ
ΤΟΥΣΤΑΜΙΑΣΓΡΑΨΑΙΔΕΚΑΙΠΡΟΣΤΑΣΠΟΛΕΙΣΤΟΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ
ΤΟΥΨΗΦΙΣΜΑΤΟΣΣΙΜΟΝΤΟΝΓΡΑΜΜΑΤΕΑΕΔΟΞΕΝΤΟΙΣ
. . . *ΔΡΟΙΣΕΔΟΞΕΝΚΑΙΤΗΙΕΚΚΛΗΣΙΑ*

καὶ ἀναγραφῆναι τόδε τὸ ψήφισμα· εἶναι δὲ . . . . προεδρίαν ἐν πάσαις ταῖς κατὰ Μαγνησίαν πόλεσιν· προνοηθῆναι δὲ ὅπως συντελεσθῇ τὰ ἐψηφισμένα τοὺς κοινοὺς ἄρχοντας, τὸ δὲ ἐσόμενον εἰς ταῦτα ἀνήλωμα δοῦναι τοὺς ταμίας· γράψαι δὲ καὶ πρὸς τὰς πόλεις τὸ ἀντίγραφον τοῦ ψηφίσματος Σῖμον τὸν γραμματέα. Ἔδοξεν τοῖς [τε συνέ]δροις, ἔδοξεν καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ.
Clausula est decreti quo honoratur vir quidam cuius nomen latere suspiceris in litteris *ΑΩΙΚΥΤΑΙ* v. 1 quae haud dubie in lapide fere evanuerunt et propterea male redditae sunt in apographo; sed haud scio an in istis nihil aliud insit nisi *αὐτῷ καί*. Ea verba quae nunc prima sunt proxime praecessisse puto adverbium loci quale est *οὗ:* nam cum locus in quo inscribendum sit decretum non amplius designetur apparet eum iam in antecedentibus ubi statuae eidem viro publicis sumtibus erigendae mentio facta esse videtur (cf. v. 4 *τὸ δὲ ἐσόμενον εἰς ταῦτα ἀνήλωμα*) fuisse designatum. Auctores decreti fuerunt *οἱ σύνεδροι*, quorum nomen certa coniectura restituisse mihi videor v. 7, i. e. ut Livi (XXXXV, 32) verbis utar, senatores quorum consilio res publica administrabatur, quales in multis Graeciae civitatibus fuisse nuper exemplis docuerunt G. Vischer (Epigraphische und archäologische Beiträge aus Griechenland p. 32) et H. Sauppe (die Mysterieninschrift aus Andania p. 32 s.). Senatus consultum ratum esse iussit contio populi, ut apparet ex ultimis tituli verbis: *ἔδοξεν τοῖς τε συνέδροις, ἔδοξεν καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ.* Similem ut ita dicam ratihabitionem senatusconsulti legimus in titulo Amorgino alias quoque ob res huius de quo agimus simillimo (Rangabis antiq. hell. n. 750, B) cuius in fine postquam Critobulus scriba senatus iussus est Rhodum transmittere exemplar (*ἀντίγραφον*) senatusconsulti facti

in honorem Nicolai Rhodii additur: *διαχειροτονήσαν[τι] τῷ δήμῳ*) κα[τὰ τὸν νόμον] εἰ δεῖ ἀποστέλλειν εἰς Ῥόδον ἔδοξεν ἀποστέλλειν.* Senatum autem illum populique contionem non esse urbis Demetriadis sed totius civitatis Magnetum (*τοῦ κοινοῦ τῶν Μαγνήτων*) ex eo apparet, quod ei qui hoc decreto honoratur inter alia ius praesidendi i. e. in primis spectatorum ordinibus sedendi in omnibus Magnesiae urbibus (*προεδρία ἐν πάσαις ταῖς κατὰ Μαγνησίαν πόλεσιν*) confertur quodque communes magistratus (*οἱ κοινοὶ ἄρχοντες*) hoc decretum exequendum curare iubentur. Itaque etiam Simus scriba cui mandatur ut exemplaria huius decreti ad singulas urbes mittat, et quaestores quibus impensae imperantur (*οἱ ταμίαι*) communes sunt Magnetum magistratus quorum concilium cum Demetriadem plerumque convocaretur (v. Liv. XXXV, 31) facile est intellectu cur in hac potissimum urbe et hic et is de quo statim dicemus titulus positi fuerint.

Alterius scilicet tituli fragmentum Mézières l. l. exhibuit hoce:

. . . ΤΗΓΗΣΑΝΤΑΣ
ΔΗΜΗΤΡΙΟΝΝΙΚΟΛΑΟΥΑΣΚΛΕΠΙΟΔΩΡΟΝ
. . . .
ΣΙΑΣΕΠΙΤΕΛΟΥΣΟΙΕΡΕΥΣΤΟΥΔΙΟΣΤΟΥΑΚΡΑΙΟΥΚ
ΦΙΛΟΔΗΜΟΥΟΚΟΙΝΟΣΣΤΡΑΤΗΓΟΣΚΑΙΗΣΥΝΑΡΧΙΑΘΕ
ΣΤΞΝΟΥΓΗΡΟΣΤΡΑΤΟΣΙΣΤΙΑΙΟΥΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΣΙΣΤΙΑΙΟΥΑΡ
ΟΣΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΟΥΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣΠΑΥΣΑΥΝΙΟΥΔΗΜΗΤΡΙΟΣΑ
ΩΝΟΣΕΠΙΜΕΝΗΣΝΙΚΑΝΩΡΟΣΕΙΠΑΝΕΠΕΙΑΒΡΥΛΛΟΣΑΘΗ
ΔΑΣΞΕΝΟΚΡΑΤΟΥΔΑΜΟΞΕΝΟΣΦΙΛΙΠΠΟΥΟΙΣΤΡΑΤΗ
ΟΦΥΛΑΚΕΣΑΡΧΕΔΗΜΟΣΚΡΑΤΗΝΟΥΔΗΜΗΤΡΙΟΣΝΙΚΟΛΑΟΥ
ΓΕΝΙΠΠΟΥΠΑΡΑΛΑΒΟΝΤΕΣΤΗΝΑΡΧΗΝΑΞΙΟΥΣΑΥΤΟΥ
ΑΚΑΝΤΗΣΤΕΙΔΙΑΣΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣΚΑΙΤΗΣΤΟΝΠΡΟ
ΣΤΩΝΤΕΤΗΣΠΟΛΕΩΣΑΓΑΘΟΙΠΡΟΣΤΑΤΑΙΓΕΓΟΝ
ΑΙΤΕΥΟΜΕΝΟΙΕΝΠΑΣΙΝΕΝΤΕΤΟΙΣΑΛΛΟΙΣ

Fragmentum est decreti cuius non initium tantum et finis, sed singulorum etiam versuum quos hic quoque non eundem literarum numerum continuisse apparet clausulae perierunt. Laudantur ibi ob rem publicam bene administratam tres praetores (*στρατηγοί* v. 9) et tres alii viri quos quae e muneris eorum nomine restant literae *ΟΦΥΛΑΚΕΣ* (v. 10) mihi persuadent

*) Id quod Rangabis dedit *διαχειροτονήσαντος τῷ δήμῳ* neque literis in apographo traditis neque sermoni quo utitur hic titulus convenit.

fuisse *πολιτοφύλακας*, quo nomine summos magistratus Larisae appellatos esse constat ex Aristot. polit. V, 6 (p. 136, 25 Bekk. edit. min.) quoque etiam alias civitates magistratus quosdam militares appellasse ex eis colligas quae idem Aristoteles scripsit polit. II, 8 (p. 41, 24 ss.): *ἀνάγκη γὰρ ἐκ τῶν τὰ ὅπλα ἐχόντων καθίστασθαι καὶ στρατηγοὺς καὶ πολιτοφύλακας καὶ τὰς κυριωτάτας ἀρχὰς ὡς εἰπεῖν*. Simili magistratuum nomine etiam Thessalonicenses utebantur, apud quos sex *πολιτάρχαι* rei publicae administrandae praeerant: v. C. I. Gr. n. 1967 (cf. addenda vol. II, p. 990); Acta apost. 17, 6; 8. Iam cum nomen unius ex his custodibus urbis, Demetrii Nicolai filii, bis legatur in titulo Demetriaco (v. 2 et v. 10), apparet reliquorum quoque qui hoc decreto laudantur virorum nomina bis posita fuisse: primum in fronte tituli, praemisso tantum nomine civitatis a qua honores conferuntur, iterum ipsis decreti verbis interposita. Cum vero per se verisimile sit, utroque loco nomina eodem ordine fuisse posita, apographum quod accurate imitatus sum indicare videtur rem aliter se habuisse; nam cum eius qui nunc primus est versus dimidia pars vacua relicta sit, nullis literarum vestigiis notatis, Demetrius qui infra (v. 10) alterum inter politophylacas locum obtinet, supra (v. 2) agmen eorum duxisse statuendus est; nisi forte conicere licet, vacuum illud spatium ex errore eius qui titulum e lapide exscripsit ortum esse, quod si sumimus, ante Demetrium v. 1 Archedemi Cratini filii nomen e v. 10 restitui potest. Censuerunt autem honores illis conferendos sacerdos Iovis Acraei*) cuius templum in summo vertice montis Pelii supra Demetriadem situm ab huius urbis incolis singulari religione colebatur (cf. descript. Graeciae quae volgo Dicaearchi nomen prae se fert fragm. II, 8 in Geograph. Gr. minor. ed. C. Müller vol. I, p. 107), communis praetor (*ὁ κοινὸς στρατηγός*) i. e. summus totius Magnetum gentis dux, cuius munus idem esse puto at-

*) Iovis Acraei nomen ex hoc et altero de quo deinceps dicam titulo restituendum esse etiam in Dicaearchi qui dicitur fragmento pro eo quod codex praebet *Διὸς ἀκταίου* intellexit iam Mézières (mémoire p. 118 = archives p. 266), pluribus verbis exposuit B. Stark in Gerhardi Diarii archaeolog. anni 1859 n. 128, 129, p. 89 ss., neque ullam veri speciem habere mihi videtur Welckeri opinio qui in eiusdem diarii a. 1860 n. 133. 134 p. 14 s. deum in vertice montis Pelii cultum cum olim Actaeus appellatus fuerit posteris demum temporibus antiquo sacrorum ritu mutato Acraeum cognominatum esse statuit. Equidem Iovem Actaeum usquam Graeciae cultum esse non magis mihi persuadere possum quam Actaeonem cuius simulacrum Chironem ad canum rabiem sedandam confecisse tradit Apollodorus (III, 4, 4) ad Pelium montem pertinere, sed hoc ipsum simulacrum diversum non esse puto ab eo quod Orchomeni in Boeotia vidit Pausanias (VIIII, 38, 5).

que eius quem Magnetarchen vocatum esse tradit Livius (XXXV, 31; 39), et collegium magistratuum quod *ἡ συναρχία* appellatur (v. 5) de cuius nominis significatione exposuit G. Vischer in libello qui inscribitur 'Epigraphische und archaeologische Beiträge aus Griechenland' p. 14 s. et p. 44. Magnetum synarchiam e septem viris compositam fuisse docent tituli Demetriaci vv. 5—8.

Iam ex his quae adhuc disputavimus sponte apparere putamus laudari hoc decreto summos urbis Demetriadis magistratus a communi Magnetum, ferentibus ad synedros sacerdote Iovis Acraei summisque totius Magnetum gentis magistratibus, quia non solum urbi Demetriadi bene praefuerint sed etiam de tota gente optime meruerint. Itaque totum titulum quoad licet ita fere restituendum putamus: [*Στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος Φιλομήλου τὸ κοινὸν τῶν Μαγνήτων ἐτίμησεν Ἅβρυλλον Ἀθηνίππου* (?), ... *δαν Ξενοκράτου, Δαμόξενον Φιλίππου στρα*]*τηγήσαντας* [*καὶ Ἀρχέδημον Κρατίνου*], *Δημήτριον Νικολάου, Ἀσκληπιόδωρον* [*Εὐγενίππου πολιτοφυλακήσαντας τῆς πόλεως τῆς Δημητριέων· . . .*] *σίας Ἐπιτέλους ὁ ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ Ἀκραίου κ*[*αὶ* . . . .] *Φιλοδήμου ὁ κοινὸς στρατηγὸς καὶ ἡ συναρχία Θε* . . . . *στένου, Γηρόστρατος Ἱστιαίου, Φιλόστρατος Ἱστιαίου, Ἀρ* . . . . *ος Ἀριστοκράτου, Ἀρτεμιδῶρος Πανσανίου, Δημήτριος Ἀ*[*ριστί*]*ωνος, Ἐπιμένης Νικάνορος εἶπαν· ἐπεὶ Ἅβρυλλος Ἀθη*[*νίππου* (?), ...] *δας Ξενοκράτου, Δαμόξενος Φιλίππου οἱ στρατη*[*γοὶ καὶ οἱ πολιτ*]*οφύλακες Ἀρχέδημος Κρατίνου, Δημήτριος Νικολάου,* [*Ἀσκληπιόδωρος Εὐ*]*γενίππου παραλαβόντες τὴν ἀρχὴν ἀξίους αὑτοὺ*[*ς διὰ παντὸς παρεσκεύ*]*ακαν τῆς τε ἰδίας καλοκἀγαθίας καὶ τῆς τῶν προ*[*γόνων αὐτῶν ἀρετῆ*]*ς τῶν τε τῆς πόλεως ἀγαθοὶ προστάται γεγόν*[*ασιν καλῶς καὶ δικαίως πο*]*λιτευόμενοι ἐν πᾶσιν ἔν τε τοῖς ἄλλοις*. . . . . .

De singulis pauca addam: primum hoc, errores sive a lapicida sive ab eo qui titulum exscripsit commissos ubi correxerim literis minoribus notatum esse; ex quibus id quod v. 7 legitur *Πανσαννίου* ne quis antiquioris Thessalorum dialecti indicium potius quam errorem esse opinetur collato eo quod est *ἀρχιδαυχναφορείσας* (C. I. Gr. n. 1766, 4), meminerit, quaeso, neque in his titulis ullum exstare dialecti Thessalicae vestigium et in ipsis titulis Thessalica dialecto conscriptis hoc nomen volgarem formam quae est *Πανσανίας* servare: v. exempla a C. Keilio collecta in commentatione quam de tribus inscriptionibus Thessalicis edidit p. 14, quibus addo e titulis a L. Heuzey exscriptis (Le mont Olympe et l'Acarnanie, p. 467 s., n. 4 v. 32 s.): *ταγὸς Φιλόξενος Πανσανίου* et (ibid. p. 470, n. 7 v. 8) . . . *γων Πανσανίου*. Meta-

plasmi quem vocant casus genetivi nominum in *-ης* exeuntium cuius hic titulus duo exhibet specimina (v. 7 *Ἀριστοκράτου* et v. 9 *Ξενοκράτου*) plurima exempla collegit Ussing Inscr. gr. ined. p. 14 ad quae haud pauciora accedunt e titulis Atticis nuper repertis. Patri Asclepiodori num revera *Eugenippi* nomen fuerit, quod solum e literis *γενιππου* in apographo servatis elici posse mihi videbatur, valde dubito, cum nullum huius nominis mihi notum sit exemplum suspicorque primam v. 11 literam non *Γ* sed aut *M* aut *Ξ* esse, ut Menippi aut Euxenippi cuiusdam filius fuerit Asclepiodorus. Sub finem eiusdem versus quod restitui *παρεσκεύακαν* simili aliorum titulorum dicendi ratione commendatur; cf. decretum Orgeonum Matris Magnae Piraeensium editum in Nuntiis archaeologicis (archaeolog. Anzeiger 1855, n. 82. 83, p. 83 * n. 1): *εὔχρηστον ἑαυτὸν παρασκευάζων* et iterum *ἐμ πᾶσιν εὔνουν ἑαυτὸν παρασκευάζων*; decretum in honorem Phaedri a Klübero editum in Actis soc. philol. Virceb. (p. 100 v. 20 s.): *διατετέλεκεν ἑαυτὸν ἄξιον παρασκευάζων τῆς πρὸς τὸν δῆμον εὐνοίας;* G. I. Gr. n. 2271, v. 27 s.: *ἵνα οὖν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ἀπαράκλητον ἑαυτὸν παρασκευάζῃ*, ibid. n. 2347 c v. 5: *πᾶσιν ἑαυτὸν εὔχρηστον καὶ φιλάγαθον παρασκευάζων*; Ross. Inscr. gr. ined. I, n. 67, v. 11: *αὐτὸς αὑτὸν εὔχρηστον παρασκευάζων*, alia; forma autem quae est *παρεσκέυακαν* si cui scrupulum iniciat is evolvat Buttmanni gramm. gr. ampl. I, p. 345 ed. alt.*) Denique v. 12 *αὐτῶν* et v. 13 *καὶ δικαίως* quibus propter sententiam facile caremus, ad eorum qui praecedunt versuum literarum numerum exaequandum addidi.

Ultimo loco Mézières (mémoire p. 118 = archives p. 266) posuit fragmentum tituli ad litus sinus Pagasaei repertum prope vicum qui a fontibus aquarum sulpuratarum nunc Calanera (*τὰ καλὰ νερὰ* i. e. aquae bonae) dicitur, servatum in domo viri cui Dimos nomen est habitantis in vico qui appellatur Miliaes (*Μηλιαῖς* quae est volgaris forma pro eo quod veteres dicebant *μηλέαι*)supra Calanera in monte Pelio sito. Apographum Galli hoc est:

---

*) Similes sunt formae tertiae personae singularis perfecti in *ει* desinentes, quarum plura exempla praebent titulus Carpathius nuper a C. Weschero exscriptus (v. Revue archéologique, n. s. VIII, p. 470), ubi v. 4 et 17 est *διατετελέκει*, v. 11 *γεγόνει* et v. 36 *τετιμάκει* (ita enim ibi legendum *καθὸ τετιμάκει*, non *καθότε τιμαήει* quod dedit Wescher), et titulus Cnidius a Newtonio expressus (A history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae, vol. I, tab. XCIII, n. 52; vol. II, p. 766) ubi v. 11 legitur *ἑστάκει*, v. 19 *τετιμάκει*.

......................Τ Α Λ Ε Υ Κ Α Ο Λ Ο Κ Λ Η Ρ Α
............ΕΣΘΑΙΤΩΙΘΕΩΙΚΑΙΤΑΑΛΛΑΤΑΕΘΙΖΟΜΕΝΑΚΑΘΩΣ
..ΓΙΝΕΤΟΤΑΣΔΕΤΟΥΤΩΝΔΟΡΑΣΠΩΛΕΙΣΘΑΙΑΠΟΤΟΥ
....ΤΕΝΙΑΥΤΟΝΥΠΟΚΗΡΥΚΑΤΗΙΕΚΤΗΙΕΠΙΔΕΚΑΤΟΥΑΡΤΕΜΙΣΙ
ΝΟΣΠΡΟΤΗΣΕΚΚΛΗΣΙΑΣΓΙΝΟΜΕΝΗΣΕΝΝΟΜΟΥΑΠΟΤΟΥ
ΡΙΟΥΥΠΟΤΩΝΠΡΟΓΕΓΡΑΜΜΕΝΩΝΑΡΧΟΝΤΩΝΣΥΜΠΑΡΟΝΤΩΝΚΑΙΤ
ΩΣΤΟΥΔΙΟΣΤΟΥΑΚΡΑΙΟΥΚΑΙΤΩΝΕ'.......ΑΣΤΩΝΚΑΙΤΟΕΚΤΟΥΤΩΝ
ΓΕΝΟΜΕΝΟΝ.........................ΤΟΥΔΙΟΣΤΟΥΑΚΡΑΙΟΥ
ΝΟΥΤΑΣΑΓΟΡΑΣ..............ΑΜΑΤΩΙΘΕΩΙΣΥΝΑΧΘΕΙΣΗ
....
....

Fragmentum est legis de hostiis Iovi Acraeo immolandis deque pellibus earum publice venum dandis, ex quibus quae redibant pecuniae (*τὸ δερματικόν* quod vocant Attici; v. Böckh Staatshaushalt der Athener II, p. 120 ss.) procul dubio templo vel sacerdoti eiusdem dei adcrescebant. Ea legis pars quae satis integra in lapide extat, his verbis est concepta:

...........πρόβα]τα λευκὰ ὁλόκληρα[........θύ]εσθαι τῷ θεῷ καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἐθιζόμενα καθὼς [καὶ πρότερον ἐ]γίνετο· τὰς δὲ τούτων δορὰς πωλεῖσθαι ἀπὸ τοῦ[δε τοῦ χρόνου (?) κα]τ' ἐνιαυτὸν ὑπὸ κήρυκα τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Ἀρτεμισί[ου μη]νὸς πρὸ τῆς ἐκκλησίας γινομένης ἐννόμου ἀπὸ τοῦ [πωλητη]ρίου ὑπὸ τῶν προγεγραμμένων ἀρχόντων, συμπαρόντων καὶ τ[οῦ ἱερέ]ως τοῦ Διὸς τοῦ Ἀκραίου καὶ τῶν ἐ.......αστων, καὶ τὸ ἐκ τούτων [ἀεὶ] γενόμενον.... ....τοῦ Διὸς τοῦ ἀκραίου....νόυ τὰς ἀγορὰς........αμα τῷ θεῷ συναχθείση......

V. 4 nomen mensis Artemisii restituere malui quam Artemisionis, quia prius nomen Macedonibus cum multis aliis Graeciae civitatibus commune, alterum Ionicarum fere urbium proprium est: v. C. I. Gr. n. 2954, v. 7 ss. et quae de mensium Graecorum nominibus scripsit C. F. Hermannus (Ueber griechische Monatskunde p. 47) *). V. 7 in literis *ε -αστων* inter quas lacunam septem literarum indicavit Mézières nomen sacerdotum quorundam vel ministrorum sacrorum latere mihi persuasum est, sed quale fuerit hoc nomen non prorsus liquet. Si sex tantum literas in lacuna illa perisse statuimus, restituere licet *ἐπιμηνιαστῶν* quae forma pro eo quod est *ἐπιμήνιοι* sive *ἐπι-*

---

*) **Non recte Hermannus Calaureae insulae mensem Artemisium abiudicandum esse censuit; v. C. Keil in Philol. Suppl. II, p. 623 ss.**

μηνιεύοντες (v. Hesych. s. v. *ἐπιμήνιοι*; C. I. Gr. n. 2448 et n. 3641 b passim) defendi posse videtur analogia nominum quorundam gentilium Macedonicorum, qualia sunt *Διάσται* et *Πιάσται* (v. Steph. Byz. s. v. *Δῖον* et *Πιάσται*; Paus. VIIII, 30, 8) *) et nominum quibus collegia sacra in insula Rhodo appellantur veluti *Ἁλιασταί*, *Διονυσιασταί*, *Πανιασταί* (v. C. I. Gr. n. 2525 b; cf. C. Fr. Hermann Gottesdienstliche Alterthümer der Griechen § 7, n. 10 ed. alt.; C. Keil Schedae epigraphicae p. 40). Sin septem literarum vestigiis in apographo indicatis insistimus, ea quae lacunam proxime praecedit litera in I mutata nanciscimur nomen *τῶν ἱερομηνιαστῶν*, quod ab eo quod est *ἡ ἱερομηνία* prorsus eodem modo ducitur quo *νουμηνιασταί* ab eo quod est *νουμηνία* (v. Athen. XII, p. 551 f.). De ultimis versibus nihil omnino dicam ne cui hariolari magis quam coniectare videar.

Restat ut breviores titulos componam quos in variis libelli sui locis publici iuris fecit Mézières. Sunt vero hi omnes sepulcrales et levissimi fere momenti praeter unum iam a Leakio editum (Travels in northern Greece IV, inscr. n. 204) quem Mézières (Mémoire p. 83 = Archives p. 231) se non reperisse testatur cuiusque fidem vanius ille quam consultius in dubium revocat. Repertus est teste Leakio inter rudera substructionis viae antiquae prope vicum Castri in orientali Boebeidis lacus plaga situm, his verbis conceptus:

ΕΛΛΑΝΟΚΡΑΤΗ
ΣΣΕΙΤΩΤΑΜΙΕΥ
ΣΑΣΟΔΩΕΚΑΤ
ΟΜΠΕΔΩΤΕΡΜΟ
ΝΑ

*) Dii urbis Macedonicae incolas etiam *Διέστας* appellatos esse testatur Steph. Byz. s. v. *Πιάσται* cuius testimonium confirmat subscriptio statuae a Diensibus imperatori Hadriano Athenis positae ex Sponi apographo non satis accurato edita a Boeckhio ad C. I. Gr. n. 331, quare hic eam repeto qualem Athenis anno 1853 exscripsi:

IMPCAESARDIVITRAIANIPAR
THICIFILDIVINERVAENEPO
ti Tr] AIANO HAD'R IANO AVG
P]M [T] RPOT«XVI»COS«$\overline{III}$PP↓
OLYMPIO
COLONIAIVLIAAVGVSTA
D(i)ENSIVM↓ PERLEGATVM
CMEMMIVMLYCVM
ΔΙΕCΤΩΝ

Ἑλλανοκράτης σειτοταμιεύσας ὁδῷ ἑκατομπέδῳ τέρμονα. Fuit igitur lapis cui hic titulus inscriptus est terminus viae centum pedes in latitudinem, ut mihi quidem videtur, patentis*) qualem Syracusis fuisse constat (v. Plut. Dion. 45), positus ab Hellanocrate praefecto annonae urbis Amyri nisi fallor cui monumentorum antiquorum fragmenta circa vicum Castri servata vindicavi in Geographiae graecae vol. I. p. 104: nisi forte de Hellanocrate Larisaeo cogitare licet cuius mentionem facit Aristoteles pol. V. 10 (p. 151, 13 Bekk. ed. min.), cum campum Amyricum in ditione Larisaeorum fuisse constet (v. Steph. Byz. s. v. *Ἰωλκός*); sed scribendi ratio qua hic titulus utitur, velut *I* dativi omissa et *EI* pro *I*, ad tempora paullo recentiora ut eum referamus suadet. Verbum quod est *σιτοταμιεύειν* quod alibi me legisse non memini prorsus eodem modo formatum est quo *ἀργυροταμιεύειν* tituli Carystii quem edidimus ego (Quaestionum Euboicarum capita selecta p. 34) et Fr. Hasius (Miscellanea philologica p. 6) qui alterum eiusdem verbi exemplum attulit e titulo Tralliano (C. I. Gr. n. 2930, v. 9). Literae *Σ* forma sinistrorsum versa iam ex aliquot titulis nota est, velut e Spartano (C. I. Gr. n. 1508), Thessalonicensi (ib. n. 1994 f. add. vol. II. p. 991) aliis.

In eodem vico Castri Mézières (mémoire p. 86 = archives p. 234) reperit cippum in quo figura equitis rudi admodum artificio exsculpta est subscriptis literis pessime formatis hisce;

ΑΝΘΕΜΙCΤ
ΟΝΙΔΙΝΑΝ
ΔΡΑCΙΤΥΚΙ
ΔΗΝΜΝΗ
. . . *ΝΗΡ*

Ἄνθεμις τὸν ἴδιν ἄνδρα Εὐτυχίδην μνή[μης χάρι]ν· ἥρ[ως χρηστὲ χαῖρε. V. 1 procul dubio in lapide est *Є* non *E*, v. 3 *ЄΥ* pro *CI* et *X* pro *K*. Accusativi forma *ἴδιν* pro eo quod est *ἴδιον* repetenda est ex usu sermonis volgaris, qui etiamnunc talibus loquendi compendiis ut ita dicam delectatur, quem usum in nominibus propriis late patuisse docuit C. Keil in Specimine onomatologi graeci, p. 78 ss.

Inter vicos in radicibus montis Ossae qua meridiem et montem Pelium respicit ritos primarium locum obtinet is qui unus Agiá dicitur, cuius agri

*) Omnem viam latitudine praecellentem *ὁδὸν ἑκατόμπεδον* a Graecis dictam esse docent haec Pindari verba (Isthm. V, 22): *μυρίαι δ' ἔργων καλῶν τέτμηνθ' ἑκατόμπεδοι ἐν σχερῷ κελεῦθοι.*

per fertilem illam convallem extenduntur, quae Ossae et Pelii montium radices iungit. In ipso vico Mézières (mémoire p. 94 = archives p. 242) fragmenta quaedam et ab antiquis et a medii quod dicitur aevi Graecis relicta reperit, quae quin e Meliboeae urbis ruderibus (de cuius situ v. Geographiam meam gr., vol. I, p. 99) huc transvecta sint dubium non est. Inter haec fragmenta duo tantum sunt lapides literati: alter in ecclesia divi Antonii servatus in quo scriptus est titulus sepulcralis hice: *ΕΡΑΤΙΣΚΕΡΚΙΩΝΟΣ**) in quo notandum est nomen Ἐρατίς pro Ἐρατώ; alter in limine portae ecclesiae divae Mariae, in quo has tantum literas rudibus formis quae aetatem Byzantinam referrent insculptas se legere potuisse dicit Mézières: *ΩΚΑΙΑΨΙΟΛΕΙCΖΩΙΤΥΡΟΥ*, in quibus Ζωπύρου nomen agnosco, quod praecessisse videntur duo nomina feminarum quorum alterum corruptum (Ἀψιολέϊς), ex altero nil nisi ultima litera -ω relicta est. Praeterea in viculo qui Rézina dicitur, ad Agiae ditionem pertinente, Mézières (l. l.) vidit cippum sepulcralem in quo eques pone virum et feminam stantes effictus est cum hac inscriptione:

ΔΙΩ.........
ΠΟΛΛΩΝCΙΟΝ
ΗCΑΝΔΡΑ
ΗΩΝΚΡΗΤΟ

V. 3 scriptum fuisse τὸν ἑαυτ]ῆς ἄνδρα pro certo affirmaverim; v. 2 fortasse fuit Ἀ]πολλώνιον, v. 4 ἥρ]ω(ς) χρηστὲ [χαῖρε. — In vico qui dicitur Desiani sito in valli illa inter Ossam et Pelium montes porrecta de qua supra diximus Mézières (mémoire p. 82 = archives p. 230) reperit titulum sepulcralem hunce:

ΕΡΜΙΟΝΗ . . . ΛΙΩΝΟΣ

i. e. Ἑρμιόνη Ὠφε]λίωνος sive quo alio nomine pater eius appellabatur. Denique in vico qui dicitur Keramidi in orientali Magnesiae ora sub ruderibus castelli antiqui quod oppidi Casthanaeae fuisse puto (v. Geograph. Gr. I, p. 99) sito hunc titulum sepulcralem reperit Mézières (mémoire p. 70 = archives p. 218) rudibus admodum ut ait literis exaratum:

ΔΑΜΟΚΡΙΤΑ
ΑΙΝΕΙΟΥ
ΠΟΛΥΑΙΝΩ
ΑΙΝΕΙΟΥ

*) Apud Mézières ultima litera est Ꮖ; sed cum ipse literas bonae aetatis esse testetur (»en lettres d'une bonne époque«), haec forma typothetae quem dicunt errori tribuenda est.

Δαμοκρίτα Αἰνείου· Πολυαινὼ Αἰνείου. Impositus erat igitur hic cippus communi sepulcro duarum sororum quarum alteri nomen est Polyaeno, cuius nullum praeter hoc novi exemplum.

Sed iam e Magnesia in Helvetiam, ex antiquis in nostra tempora redeamus atque id agamus cuius causa haec praelusimus. Scilicet indicendae sunt nobis scholae in hac nostra literarum universitate per hiemem anni MDCCCLXIIII — MDCCCLXV habendae, quo munere nos quidem nunc et primum et ultumum fungimur. Etenim cum senatus universitatis nostrae veterem illum morem ex quo praeter indicem scholarum patrio sermone conscriptum alter latinitate donatus in publicum emittebatur abolendum esse decreverit cumque hoc senatus consultum eorum qui in hac republica rebus scholasticis praesunt magistratuum auctoritate confirmatum sit, tenuis hice libellus agmen eorum qui ad indicendas scholas in hac literarum universitate habendas scripti sunt claudet. Quod tamen non ita accipi volumus ut vetustum morem prorsus deseruisse et hanc quasi tesseram apud reliquas et Germaniae et Helvetiae literarum universitates confregisse videamur, sed in posterum quoque semel per annum libellum academicum edemus quo praemissa commentatione aliqua literaria nomina eorum commilitonum qui solutis quaestionibus a variis academiae nostrae ordinibus propositis praemium vel laudem meruerunt renuntiabimus simulque nova certamina eruditionis commilitonibus nostris indicemus. Vestrum igitur erit, optimi et humanissimi commilitones, providere ut quam plurima victorum nomina in his tabulis inscribere nobis liceat.

INDEX LECTIONUM
IN
LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI
INDE
A DIE XXIV. MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXIV
USQUE
AD DIEM XXV. MENSIS MARTI A. MDCCCLXV.
HABENDARUM.

Rector magnificus: M. BÜDINGER, Dr.

I. Ordinis Theologorum.

Decanus: E. Schrader, Dr. Phil.

1. Professorum ordinariorum.

A. SCHWEIZER, Dr.

1) Symbolicen quaternis p. h. horis et
2) Theologiam pastoralem binis horis tradet.

O. F. FRITZSCHE, Dr.

1) Historiam ecclesiasticam saeculi XIX binis,
2) Dogmatum usque ad ecclesiae reformatae tempora historiam quaternis horis enarrabit.
3) Historiam ecclesiasticam ter p. h. cum commilitonibus repetet.
4) Papatus et civitas quam vocant ecclesiasticam quales fuerint medio quod dicitur aevo, semel p. h. exponet.

TH. KEIM, Dr.

1) Evangelia Matthaei, Marci, Lucae quinis horis interpretabitur.
2) De praeceptis ac placitis Jesu ter p. h. disseret.
3) Exercitationes criticas et exegeticas semel p. h. moderabitur.

A. E. BIEDERMANN, Dr.

1) De fide christiana doctrinam quinis scholis exponet.
2) Librorum novi testamenti de deo doctrinam ternis horis tradet.
3) Exercitationes dogmaticas bis p. h. moderabitur.

E. SCHRADER, Dr. Phil.

1) Introductionem in V. T. libros quinis horis tradet.
2) Librum Hiob ternis horis illustrabit.
3) Minores prophetas delectum adhibiturus binis horis explicabit.
4) Exercitationes V. T. exegeticas singulis horis moderabitur.
5) Linguae Arabicae rudimenta semel p. h. tradet.

G. VOLKMAR, Dr. Phil.

1) Librum qui Acta apostolorum inscribitur ternis horis illustrabit.
2) Minores Pauli epistulas quaternis horis explanabit.
3) Exercitationes historicas et exegeticas semel p. h. moderabitur.
4) Historiam artis criticae ad evangelia examinanda adhibitae singulis scholis enarrabit.

2. *Professorum extraordinariorum.*

H. KESSELRING.

1) Epistulam ad Corinthios datam ternis horis interpretabitur.
2) Exercitationes catecheticas binis horis moderabitur.

3. *Privatim docentium.*

C. EGLI, Dr. Phil., Past. Aussersihl.

1) Psalmos quater p. h. explanabit.
2) Librorum sacrorum de natura doctrinam binis horis tradet.

II. Ordinis Jureconsultorum.

Decanus: J. Hillebrand, Dr.

1. *Professorum ordinariorum.*

ED. OSENBRÜGGEN, Dr.

1) Processum poenalem Germanicum. Anglorum et Francogallorum puniendi rationem cum illo comparaturus, quinis horis tradet.
2) Processum civilem Germanicum communem quaternis horis docebit.
3) Practicum ad jus criminale spectans bis p. h. moderabitur.

Jod. Temme, Dr.

1) Jus criminale Germanicum commune codicum poenalium Helveticorum rationem habiturus senis horis docebit.
2) Partes selectas juris et processus poenalis binis scholis tractabit.
3) Practicum ad processum civilem pertinens bis p. h. moderabitur.

J. Rüttimann, Dr.

1) Juris privati Turicensis partem alteram senis horis,
2) Jus publicum civitatis foederatae proprium, quale apud Helvetios obtinet, ternis scholis tradet.

J. Hillebrand, Dr.

1) Jus privatum Germanicum senis horis docebit.
2) Quo ambitu et qua ratione juris prudentiae studia tractanda sint, bis p. h. ostendet.
3) Jus publicum commune binis horis docebit.
4) Speculum saxonicum binis scholis interpretabitur.

F. de Wyss, Dr.

1) Historiam juris Germanici quinis horis enarrabit.
2) Jura Helvetiorum privata adumbrabit atque inter se comparabit totidem horis.

F. Regelsberger, Dr.

1) Juris Romani institutiones et historiam septies p. h. tradet.
2) De obligationum jure Arndtii compendio Pandectarum usurus quater p. h. exponet.
3) De jure Romano civili ter p. h. exercitationes practicas instituturus cum commilitionibus colloquetur.

H. Fick, Dr.

1) Jus commercii quater,
2) Jus cambiale bis p. h.,
3) Jus ad vias ferratas spectans singulis scholis,
4) Jus ad res cautas pertinens semel p. h. tradet.

2. *Professorum extraordinariorum.*

H. Escher, Dr.

1) Quo ambitu et qua ratione studia ad rem publicam gerendam spectantia tractanda sint, bis p. h. ostendet.

2) Jus publicum commune quaternis horis docebit.
3) Rerum ad aerarium pertinentium disciplinam quaternis horis tradet.
4) Statistices quam vocant rationem bis p. h. exponet.

3. *Privatim docentium.*

H. de Marschall.

1) Oeconomiae publicae eam partem, quae est de cura administrandorum vectigalium publicorum, ternis scholis tradet.
2) Negotiationis et artificiorum historiam et rationes binis horis,
3) Rei mensariae rationem singulis scholis exponet.

A. Schneider, Dr.

1) Jus hereditarium Romanum ternis,
2) Processum civilem Turicensem totidem horis docebit.

III. Ordinis Medicorum.

Decanus: Th. Billroth, Dr.

1. *Professorum ordinariorum.*

H. Frey, Dr.

1) Zoologiam senis horis tractabit.
2) Anatomiam generalem sive histologiam quinis scholis tradet.
3) Exercitationes microscopicas bis p. h. instituet.
4) Quomodo homines et animalia vertebrata nascantur adolescantque ternis scholis exponet.

H. Meyer, Dr.

1) Osteologiam ter, et
2) Anatomiam hominis decies p. h. docebit.
3) Exercitationes corpora secandi moderabitur.
4) Anatomiam ternis scholis cum commilitonibus repetet.

G. Griesinger, Dr.

1) Clinicen medicam septenis et semis horis moderabitur.
2) Pathologiam et therapiam specialem senis scholis tradet.
3) De morbis syphiliticis clinicen syphiliticam moderaturus semel p. h. aget.

J. Locher-Balber, Dr.

1) Pharmacologiae partem alteram medicamenta praecipua demonstraturus et artem formulas medicas rite concipiendi quinquies p. h. tradet.

2) Therapiam generalem et pharmacologiam cum commilitonibus bis p. h. rectratabit.
3) Semioticen semel p. h. publice tradere perget.

A. Fick, Dr.

1) Physiologiam sensuum ternis horis, et
2) Introductionem in physiologiam totidem horis tradet.
3) Exercitationes et perscrutationes physiologicas sexies p. h. moderabitur.
4) De visu et auditu ita, ut omnium ordinum commilitonibus accommodata sit demonstratio, singulis horis aget.

B. Breslau, Dr.

1) Artis obstetriciae rationem quaternis horis explanabit.
2) Clinicen obstetriciam et gynaecologicam ternis horis moderabitur.
3) De morbis primae infantiae propriis ter p. h. aget.

2. *Professorum extraordinariorum.*

A. L. Cloëtta, Dr.

1) De medicina publica ternis horis exponet.
2) Doctrinae de aquis medicatis partem et generalem et specialem binis scholis tradet.
3) Artis medicae inde a saec. XV. usque ad nostra tempora historiam semel p. h. enarrabit.

F. Horner, Dr.

1) Clinicen ophthalmologicam ternis horis moderabitur.
2) Oculis medendi artem quinis scholis docebit.
3) Cursum operationum in oculis faciendarum bis p. h. instituet.

Rindfleisch, Dr., prosector pathol.

1) Histologiam pathologicam binis scholis docebit.
2) Cursum obductionum simul exercitationes microscopicas moderaturus quaternis scholis instituet.

3. *Privatim docentium.*

H. Spöndli, Dr.

Cursum operationum obstetriciarum bis p. h. instituet.

J. Billeter, Dr.

Oris physiologiam ac pathologiam binis horis tradet.

F. Goll, Dr.

1) Policlinicen quaternis semis horis moderabitur.
2) Pathologiam ac therapiam specialem bis p. h. cum commilitonibus retractabit.
3) Practicum ad medicamentorum praecipiendorum rationem pertinens semel p. h. moderabitur.

IV. Ordinis Philosophorum.

a) Sectionis philosophico-philologico-historicae.

Decanus: H. Schweizer, Dr.

1. Professorum ordinariorum.

Fr. Vischer, Dr.

1) Aesthetices partem priorem quae est de pulchro ac de phantasia ternis horis tradet.
2) Goethii poema quod »Faustus« inscribitur binis horis illustrabit.

A. L. Kym, Dr.

1) Philosophiae inde a Thalete ad Kantium usque historiam quinis horis persequetur.
2) Logica et metaphysica quaternis horis docebit.
3) Exercitationes philosophicas bis p. h. moderari perget.

M. Büdinger, Dr.

1) Historiam graecam ternis scholis,
2) Res in Europa saeculo XV. gestas totidem horis enarrabit.
3) Quomodo res nationum Romanensium et Germanicarum paullatim adoleverint summatim ostendet binis p. h. horis.
4) Exercitationes historicas binis horis moderabitur.

C. Bursian, Dr.

1) Geographicam Graeciae descriptionem quaternis horis tradet.
2) Selectas Iuvenalis satiras prolegomenis de ratione ac de historia poeseos Romanorum satiricae praemissis ternis horis interpretabitur.
3) Critices et hermeneutices, quatenus ad disciplinas philologicas et archaeologicas spectant, rationem binis scholis docebit.
4) Seminario philologico-paedagogico praefectus exercitationes a) latine et graece scribendi semel p. h., b) exegeticas selecta carmina Graecorum elegiaca interpretanda propositurus singulis binisve scholis, c) philologicas totidem horis moderabitur.

H. Schweizer, Dr.

1) Linguae Sanscritae rudimenta Boppi Grammatica critica usurus binis horis tradet.
2) Exercitationes exegeticas ad eorum qui linguae sanscritae rudimenta jam posuerunt usum Benfei chrestomathia usurus totidem horis instituet.
3) Grammaticam linguae Gothicae et Theodiscae exercitationes exegeticas moderaturus ternis horis docebit.
4) Seminarii philologico-paedagogici exercitationes a) exegeticas Taciti dialogum de oratoribus interpretandum propositurus semel p. h., b) grammaticas ad declinationem graecam et ad syntaxin linguae Graecae cum Latina comparatam spectantes semel p. h. instituet.

2. *Professorum extraordinariorum.*

J. Frei, Dr.

1) Thucydidis historiam ternis
2) Ciceronis in C. Verrem actiones totidem horis explanabit.

H. Behn-Eschenburg, Dr.

1) Poeseos Anglorum dramaticae historiam sermone anglieo usurus semel p. h. enarrabit.
2) Shakespearii tragoediam quae inscribitur »Romeo and Juliet« bis p. h. in vernaculum sermonem convertet et omni ex parte explicabit.
3) Exercitationes anglice et loquendi et scribendi grammaticae a se ipso conscriptae rationem habiturus bis terve instituet.

A. S. Vögelin, Dr.

1) Literarum graecarum historiam ternis scholis enarrabit.
2) Aeschyli Agamemnonem ternis horis,
3) Platonis Gorgiam binis,
4) Horatii Epistulas totidem horis interpretabitur.

L. Ettmüller, Dr.

1) Literarum aetatis mediae Germanicarum historiam ternis scholis enarrabit.
2) Poema quod inscribitr »Der Nibelunge nôt« binis horis explicabit.
3) Artis poeticae praecepta totidem horis tradet.

G. de Wyss, Dr.

1) Res Helvetiorum a prima eorum origine usque ad annum MDCCXII ternis scholis perlustrabit.
2) Libros ad Helvetiorum historiam pertinentes semel p. h. recensebit.

3. *Privatim docentium.*

J. H. Vögeli, Dr.

Res in Europa a pace ad Tilsam facta usque ad ereptum Napoleoni imperium gestas semel p. h. exponet.

D. Fehr, Dr.

1) Disciplinas ad philosophiam pertinentes semel p. h. adumbrabit.
2) Artis opera in Museo archaeologico nostro collocata toties demonstrabit et explicabit.

A. Rochat, Dr.

Grammaticam linguae quam provincialem vocant cum antiquorum Francogallorum lingua comparatam semel p. h. tradet.

C. Morell.

1) Helvetiorum et res publicae et artes literaeque quomodo inde a Rudolphi de Habesburg temporibus usque ad saec. XV. exitum adoleverint, binis horis exponet.
2) Eorundem res publicae ac privatae quales saec. XVIII. fuerint, totidem horis demonstrabit.

L. Schlecht, Dr.

1) Logicam formalem philosophiae aetatis mediae historiam breviter complexurus binis horis docebit.
2) Psychologiam ejusque historiam totidem horis tradet.
3) Ciceronis Paradoxa et Terenti Andriam binis horis interpretabitur simulque exercitia latine et loquendi et scribendi instituet.

H. Wislicenus, Dr.

1) Germanorum historias fabulares de heroibus traditas binis horis illustrabit.
2) De Edda totidem horis aget.

Gsell-Fels, Dr.

1) Psychologiam rerum naturae scientia nixam ternis scholis docebit.
2) Psychologiae historiam semel p. h. tradet.

b) **Sectionis mathematico-physicae.**

Decanus: A. Mousson, Dr.

1. *Professorum ordinariorum.*

O. Heer, Dr.

1) Botanicen pharmaceuticam ternis horis docebit.

2) De plantis antediluvianis ter, et
3) De insectis fossilibus bis p. h. disputabit.

G. Staedeler, Dr.

1) Chemiam experimentalem quinis horis docebit.
2) Selecta chemiae anorganicae capita binis horis tractabit.
3) Practicum chemicum more consueto moderabitur.

A. Escher von der Linth, Dr.

1) Geologiam universalem ternis quaternisve horis, et
2) Geologiam technicam binis horis docebit.

A. Mousson, Dr.

1) Physica experimentis illustranda quaternis scholis tradet.
2) Res physicas cum commilitonibus semel p. h. vernaculo sermone usurus, et
3) Easdem res bis Francogallico sermone usurus retractabit.
4) De mensionis ad physica pertinentis ratione quaternis horis aget.

R. Clausius, Dr.

1) Physicorum experimentis illustrandorum partem priorem s. physica universa et de calore doctrinam quaternis horis, et
2) Physica chemica totidem scholis tradet.
3) Opticen mathematica demonstrandi via ac ratione usurus quater p. h. docebit.

G. A. Kenngott, Dr.

Practicum ad mineralogiam spectans ternis horis moderabitur.

2. *Professorum extraordinariorum.*

R. Wolf, Dr.

1) In disciplinae mechanicae eam partem quae circa coelum versatur, commilitones binis scholis introducet.
2) Commilitones in calculis astronomicis conficiendis ter p. h. exercebit.

C. H. Graeffe, Dr.

Geometriam analyticam circa planitiem versantem ternis horis tractabit.

J. Wislicenus, Dr.

1) Chemiam anorganicam quinis scholis, et
2) Chemiae analyticae partem priorem s. analysin quam vocant qualitativam semel p. h. docebit.
3) Exercitiis in laboratorio chemico instituendis duodecies p. h. praeerit.

3. *Privatim docentium.*

J. C. Hug.

1) Calculum differentialem et integralem ter p. h. docebit.
2) Methodicen ad mathematica pertinentem binis horis tradet.

C. Cramer, Dr.

1) Botanicen universalem quinquies tradet.
2) Exercitationes microscopicas quater p. h. moderabitur.

H. Durège, Dr.

1) Geometriam analyticam circa spatium versantem binis,
2) Capita altioris quam vocant mathematicae selecta totidem horis tractabit.

C. de Fritsch, Dr.

1) Geographiam physicalem binis horis,
2) Geologiam chemicam, et
3) Doctrinam de montibus ignivomis totidem horis tradet.
4) De rebus mineralogicis bis p. h. cum commilitonibus colloquetur.

Baumgartner, Dir. mus.

Doctrinam de vocum concordia singulis binisve horis tradet simulque commilitones in modis musicis quatuor vocibus describendis exercebit.

Quaestiones cum praemiis propositae.

In annos 1863 et 1864.

a. Ab ordine Theologorum.

Liber ille «de mortibus persecutorum» et ad historiam ecclesiasticam quarti inprimis saeculi haudquaquam spernendus et nostro tempore virorum doctorum disputationibus multum jactatus quam originem fidemque habeat, accurate diligenterque examinetur.

b. Ab ordine Philosophorum.

Sectionis primae.

Iis quae de Sallusti vita atque moribus partiumque studio traduntur, denuo accuratissime examinatis libroque, quem ille de Catilinae coniuratione scripsit cum iis quae de eadem re apud alios inveniuntur narrationibus partim discrepantibus quam diligentissime comparato ita, ut quid verum sit via et ratione inquiratur, Sallustius num in componendo illo libro, licet eum »quam verissime posset« sese scripturum ipse professus sit, aliud quoddam consilium secutus sit, et, si id secutus sit, istud studium quam vim in rebus gestis ab eo exponendis habuerit, diiudicetur et exponatur.

Sectionis alterius.

Elaboretur monographia qua unum aliquod genus vel plura genera affinitate inter se coniuncta animalium indigenarum sive viventium sive fossilium describantur.

In annos 1864 et 1865.

a. Ab ordine Jureconsultorum.

Quibus rebus nostra societas mercatoria a Romanorum quam vocabant societate differat, ratione imprimis usus apud Francogallos obtinentis, juris Turicensis codicisque communis legum mercatoriarum Germanici habita exponatur.

b. Ab ordine Medicorum.

Colligantur atque inter se conferantur causae eae ex quibus gangraena spontanea nasci possit, ita ut perscrutationibus et experimentorum ope factis et pathologico-anatomicis illustretur ac confirmetur demonstratio.

Publica docendi discendique subsidia.

Instituto medico-clinico praeest G. Griesinger, chirurgico-clinico Th. Billroth, ophthalmologico-clinico F. Horner, obstetricio-clinico B. Breslau, policlinico F. Goll. laboratorio chemico G. Städeler, physiologico A. Fick. Praesto est apparatus instrumentorum ad physica pertinentium et museum zoologicum, mineralogicum, archaelogicum, nec deest hortus botanicus.

In seminarium philologico-paedagogicum, cui praeest C. Bursian, cum ad omnia exercitationum genera socii et ordinarii et extraordinarii recipiuntur tum ad singula et consortes et auditores admittuntur. Socius sive ordinarius sive

extraordinarius recipi non poterit, nisi qui examen pro maturitate rite subierit, neu vero ordinarius fieri, nisi qui per duos pluresve semestres cursus in aliqua literarum universitate scholis philologicis interfuerit; ad singulorum vero generum exercitationum consortium alii quoque universitatis cives admitti possunt. Commilitonum igitur qui ut socii recipi volent, seminarii directorem, apud quem et leges seminarii a petentibus accipi possunt, intra legitimum tempus adeant; consortes autem et auditores insuper ad id cui interesse volent, exercitationum genus rite apud scholae quaestorem nomina professi tabellas exsolvant. Sociis ordinariis, qui quidem diligentia et profectu prae ceteris excelluerint, semestria stipendia Fr. 50, 75, 100 proposita sunt.

Bibliotheca reipublicae Turicensis, bibliotheca civium Turicensium, bibliotheca societatis iureconsultorum publicis usibus ita patent, uti singularum leges atque instituta concedunt.

Artem tachygraphicam Conr. Daeniker, artem rudibus batuendi J. G. Ludwig docebunt. Equitandi artem ut commilitones iisdem atque homines militares condicionibus discere possint, publica auctoritate provisum est.

Ii qui canendi artem excolere volent, societati commilitonum id ipsum spectanti, cui praeest Baumgartner, ascribi poterunt.